Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36487
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

2a Thes

nostro testimonio credidistis. In quo etiam oramus semper pro vobis: ut dig
nos vos vocatione sua deus noster. Ut digni inveniamini ad id quod vo
cati estis quia priores invitati non erant digni. Et impleat omnem
voluntatem bonitatis et opus fidei in virtute. Adiutorio gratiae et conso
latione scientiae et virtutum quae opus sunt fidei. Ut clarificetur nomen
domini nostri Iesu Christi in vobis et vos in illo. Ut et Christi nomen in vestris actibus
clarum sit et vos in eius signis et virtutibus gloriosi. Secundum gratiam dei nostri
et domini Iesu Christi. Et petit a nobis quod possumus largiatur. II

ROGAMUS autem vos fratres per adventum domini nostri Iesu Christi. Quia vobis ca
rius nihil esse sum certus. Et nostrae conversationis in id ipsum. Quan
do a quattuor ventis caeli congregabuntur electi. ut ubi fuerit corpus
illic concurrant aquilae. Ut non cito moveamini a sensu vestro neque te
rreamini. Perfacilis est qui de domini adventu contra evangelicam
sententiam commovetur. Neque per spiritum neque per sermonem. Haec signa vos
terreant quasi per spiritum facta. quia et hoc salvator ante praemonuit. Nec
sermo dialecticae vos esse seducat. Neque per epistolam tamquam a nobis mis
sam. Poterat et hoc diabolica excogitare versutia sicut in multis
apocriphis apparet quae ad fidem perfidiae faciendam apostolorum
nomine titulantur. Quasi instet dies domini. Ne quis vos seducat ullo modo.
Dicentes ecce illic Christus. Quoniam nisi venerit discessio primum. Nisi antichristus
venerit non veniet Christus. Quod autem discessio hic dicitur alibi eum refugam
appellavit. In latinis exemplaribus utrumque ita intellegendum est quod
nisi venerit refuga veritatis sive sui principatus desertor sive dis
cessio gentium a regno romano sicut in daniele per bestiae imaginem
dicitur. Et revelatus fuerit homo peccati. diabolus
scilicet. Filius perditionis. quia eum quasi sibi
natum perditio possidebit. qui secundum ysaiam con turbare
dicitur gentes. Qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur deus
aut quod colitur. ita ut in templo dei sedeat ostendit se tamquam sit deus.
Quia supra omnem potentiam et aeternitatem se iactabit et sacramenta
culturae divinae corrigere et augere se dicat et in templo hierusalem aram
facere temptabit. omnemque legis caerimoniam restaurare. tantum ut veritatis